

Mosheim / Joh: Laur: / Diss. de Ecclesia  
Christi, Helmst. 1740

pfaffij / Christoph: Matth: / Diss.  
de Coelo Beatorum, Tubinge  
1722

Reudenij / Ambr: / Theses de  
Symbolo Apostolico, Jene  
1589

Diss. de Deo ac tribus  
personis, Jene 1589.

24 23

I. N. I.

COGITATIONES  
THEOLOGICÆ  
DE  
COGITATIONIBVS

IN  
*DISSERTATIONIS INAUGVRALIS*  
MATERIEM

IN INCLVTA ACADEMIA IVLIA  
PRÆSIDE

DN. IONA CONR. SCHRAMMIO

S. S. THEOL. DOCTORE ATQVE PROFESSORE  
ORDINARIO CELEBERRIMO

ET HOC TEMPORE FACVLTATIS SVÆ  
DECANO

*PRO PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS*  
OBTINENDIS

DIE NOVEMBR.

PROPOSITÆ

AB

EBERH. DAVIDE HAVBERO

CELSISS. COM. SCHAVERN. ET LIPP. A CONSIL. SACRIS,  
COMITAT. EIVS SVPERINTENDENTE, ATQVE ECCLES. STADT-  
HAGENSIS PASTORE PRIMARIO.

---

HELMAESTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

A. M. DCCXXVII.



COGITATIONIBVS  
DE  
THEOLOGICA  
COGITATIONIBVS

IN  
DISCRETIONIBVS  
MAGISTRORVM  
IN THEOLOGIA  
ACADEMIAE  
SACRAE  
UNIVERSITATIS  
SACRAMENTORVM  
SACRAE THEOLOGICAE  
FACULTATIS  
SACRAE THEOLOGICAE  
FACULTATIS  
SACRAE THEOLOGICAE  
FACULTATIS

LIBER  
PRIMVS  
DE  
SACRAMENTIS  
IN  
GENERALI  
SYNODO  
SACRAE  
THEOLOGICAE  
FACULTATIS  
SACRAE  
THEOLOGICAE  
FACULTATIS  
SACRAE  
THEOLOGICAE  
FACULTATIS





Benedicat nobis huicque labori, qui omnibus benedicit, ipse benedictus in secula,  
DEVS.

*Occasio, Scopus & Thema Dissertationis.*

§. I.



Theologicos honores, non honoris aut vani nominis causa, sed volente ita CELSISSIMO S. R. I. COMITE SCHAVENBURGICO AC LIPSIENSI, Domino meo Clementissimo, iubenteque ipsa quadam suscepti muneris conditione, de qua in *Vitis Superintendentium Schauenburgicorum* a me dictum est, quaesito, cogitantique de commoda dissertationis inauguralis materie, in mentem venit, de ipsis cogitationibus disserere, atque cogitata quaedam theologica, circa eas proponere ad disputandum, quæ ad maiorem lucem huic materiae affundendam conducere possent.

A 2

§. II.

§.II. Neque vero reor, fore, vt vel alienum hoc ab instituto nostro, atque a Theologia, aut saltem infra dignitatem thematici Theologici inauguralis positum esse videatur, atque ita μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος a nobis commissa esse. Vti enim præcipuum Theologiæ obiectum mentem nostram esse, nemo dubitat, quippe quam emendandam a malo, separandam a mundo, illuminandam cognitione diuina, sanctificandam, saluandam æterna Dei fruitione, Theologia sibi propositam habet, ita quidquid ad explicandam naturam eius, qualitates atque operationes, pertinet, Theologici fori esse iudicamus, atque intra Theologiæ ambitum ac limites continemus.

§.III. Iam vero nihil est in mente nostra, quod præ aliis eam entibus præcipuam redderet, iisque iuberet præferre, & corporis nostri hospitem a stabulorum incolis distingueret, præterquam vnum id, quod cogitet. Cæteræ enim, quibus præstare eam reliquis entibus credideris, virtutes atque prærogatiuæ, ex vna illa cogitandi facultate proueniunt, atque ab eadem producuntur.

*De Cogitationibus, earumque Origine, Indole ac natura, in genere.*

§.IV. *Cogitationum* nomine latiori sensu vtimur, eoque describimus omnes omnino mentis nostræ operationes, tum passivas, tum actiuas; tum eas in illa aliorum entium representationes, quarum sibi conscia est, tum ipsa mentis nostræ de representationibus illis iudicia, quibus eas vel appetit, vel auersatur, iis vel gaudet vel abhorret. Neque enim causa subesse videtur, quo minus etiam illæ mentis nostræ passionnes, quas vocant, si non immediate ac per se, mediate tamen ac per participationem cogitationum nomine venire, atque operationibus mentis adnumerari aut debeant aut possint, cum ipsa illa mentis nostræ de representationibus sibi factis conscientia, iudicium sit atque ita operatio, qua non solum de præ-

praesentia ipsa, sed & de obiecti representati qualitate ac natura iudicat, illud vel auersans vel appetens, prout sane, qui sentit, de eo, quod sentit, iudicare oppido deprehenditur.

§. V. Vti vero illae in mente representationes mentisque de iisdem iudicia duplicis generis esse cognoscuntur, vel enim versantur circa res immateriales, vel circa materiales, ita vnde utraque species haec cogitationum nascatur, suamque repetat originem, disquirendum est. Vbi quidem de iis, quae circa res materiales nobis obtingunt, constat, quidquid in iis menti nostrae representetur, representari simul, aut aliquantulum citius, in organo sensuum, quod, vti manifestum, ita indubium est. Quando enim, exempli gratia, vides, quando audis, reliqua, constat, representationem obiecti, quod vides, quod audis, in ipsa mente fieri; sed simul etiam in sensuum organo representationem fieri, pariter constat; non enim vides, nisi per oculum, non audis, nisi per aurem, quibus ab obiecto remotis vel oclusis ipsa etiam in anima representatio cessat. Ex quo simul constare arbitror, etiam solam rerum materialium representationem immaterialis mentis in nobis aliisque entibus existentis irrefragabile documentum esse. Licet enim in sensuum organo, atque oculo exempli gratia, perfectissima obiecti imago exactissime pingatur, illa tamen nostra de hac obiecti in organo representatione conscientia, tam non est in organo, nec potest esse, quam non est in tunica retina effossi oculi, aut dealbata camerae obscurae pariete, aut in speculi fundo.

§. VI. Conscientia enim illa, virtus ac qualitas est, non nisi entibus immaterialibus competens; iam vero in omni cognitione sensitiva, illa, quam diximus, conscientia de representato obiecto praesens deprehenditur, neque sensus foret, si te sentire nescires, ex quo pronum alueo fluit, substantias sentientes esse etiam scientes, siue cognoscentes ac intelligentes, atque illos, qui veterem animarum in tria agmina, intelligentium siue immaterialium, sensitivarum si-

ve materialium, atque vegetatiuarum, diuisionem etiamnum suam faciunt, minus accurate agere. Vbi enim, sentire materiem posse, largitus fueris, vix habebis, quo, eam intelligere non posse, defendere queas. Atque ita, dum hominem euehere supra bruta allaborant, supra quæ iam infinitis modis positus est, etiamsi iis aliquam intelligentiam concedas, videndum erit, ne eum in machinarum numerum detrudant. Quod si vero illa animæ sensitiuæ ab intelligente distinctio id tantum innuere debeat, esse in homine aliquid sublimius atque excellentius, eo, quod, est atque sentit in brutis, neminem non hæc propositio consentientem habebit, nisi amentem.

§. VII. Verum enim vero, præter eas in mente nostra præsentationes, obiectorum, quæ dum illa sit, actu præsentia sunt, atque etiam in organo sensuum præsentantur, deprehenduntur aliæ in mente nostra præsentationes fieri, obiectorum, quæ exterius amplius præsentia non sunt, neque in exteriori sensuum organo existunt, vt, vbi personæ aut rei absentis ac olim & alibi visæ imaginem tibi ob oculos, sed mentis, fistis, aut musicam olim ac alibi auditam denuo in mente audis, & quæ id genus alia per omnes sensuum species innumera sunt, atque singulis momentis obuia.

§. IIX. Hæ præsentationum iam præteritarum atque obiectorum absentium superstites imagines vbi subsistant, atque afferuentur, an in ipsa mentis substantia, an vero in organo sensoriis corporis, iam disquirere, operæ pretium est. Phantasia vulgo earundem vel receptaculum vel fabrica habetur, sed hoc ipsum *μετα πολλης φαντασις* fieri subinde solet. Nimirum de hac ipsa facultate iterum disquiritur, cui illa principaliter tribuenda, an menti, an organo corporis? quæque vera ac genuina illius & operationum eiusdem natura ac causa sit? circa quæ ipsa vix satis fieri tibi vulgò videas. Deprehenditur autem, subinde menti nostræ tales absentium rerum ideas obuersari, subinde non obuersari, obuersari subinde



volenti, atque ad nutum quasi præsto esse, subinde neque, omni licet nisu, atque per omnia organorum receptacula ab anima quæritas, comparere, quæ omnia in mentem, substantiam simplicem atque simplicissimam, minimè cadunt, documentoque sunt, illas præteritarum representationum atque absentium rerum ideas in ipsa mente non asseruari, quæ semper eadem semperque sibi constans est. Hicque ipse diuinæ fons omniscientiæ est, qua non tantum omnia, sed omnia simul ac semper, præsens cognoscit. Οὐκ ἐπι κτισίς ἀφ' αὐτῆς ἐνώπιον αὐτῆς, πάντα δὲ γυμνα καὶ τετραχλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῆς. Ebr. IV. 13. Absesse itaque non a Deo tantum, sed ab omni spiritu completo rerum cognitarum vti obliuionem, ita & reminiscentiã censemus.

§. IX. Cum tamen ipsæ illæ rerum absentium aut representationum præteritarum ideæ nobis subinde reuerâ obuerfentur, & quidem nonnunquam tam vividæ distinctæque, vt rem absentem tanquam præsentem sæpius tibi sistere, atque subinde vix hanc ab illa, nisi aliundè de discrimine constaret, distinguere possis, quis dubitet, reuerâ tales ideas in nobis existere atque superesse, cumque in mente esse non possint, in interiori corporis organo asseruari? Ita nimirum hic rationes subducendæ videntur: Placuisse supremo rerum Arbitro atque omnium Creatori, iis describere mentem nostram limitibus, vt rerum materialium nihil, nisi, quod in sensuum corporeo organo representetur, cognoscere queat, nemo est, reor, qui eat incicias. Explicemus rem oculi exemplo: constat nihil a mente nostra videri, nisi cuius imago per radios ab obiecto illuminato egressos in oculum illuminatum ingressos, in fundo huius, tunica retina, pingatur; sed neque tum, aut ibi, visionem fieri constat, sed illam in fundo oculi pictam imaginem impressumque motum per opticum neruum in cerebellum vsque continuari atque ibidem demum animæ, veluti in speculo vel residentia sua, representari. Atque quo exactior sit illa obiecti in oculo

culo pictura, quoque ordinatior, eo exactiorem quoque atque adcuratorem in ipsa mente representationem fieri, ita, ut, si vel oculus non apertus, aut non illuminatus, aut ab obiecto remotus, aut intus vitiosè constitutus sit, vel hoc idem in nervo optico contingat, nulla etiam in mente visio fiat. Ex quibus dispalescere arbitror, non fieri in mente visionem, nisi ubi in interiori sensus organo, picta obiecti aut impressa imago debito loco ac situ rite existat, ubi vero hæc ita se habent, semper fieri etiam vel inuita anima.

§. X. Vti vero ineptum foret, si quis negare vellet, reale quid, verasque obiecti, ex quo egrediuntur, luminosas particulas per radios ex obiectis in oculum ac deinde in cerebrum deferri, nulla enim ita ratio foret, cur hæc, non alia, cur ita non aliter, imago pingatur, atque non entis nullæ etiam sunt affectiones nec operationes, ita realem talem imaginem, artificio planè incomparabili ac infinito, in oculo pictam, artificiosius per nervum opticum in cerebro, ubi semel ibi representata & ab anima cognita est, iterum disperire aut retrocedere, aut abire in nihilum, absolum creditu foret, cum palam sit, superesse eandem imaginem longis post primam representationem temporibus, id quod alia, quam hæc, ratione explicari non posse reor, quæ non perire, nec in auram evanescere, aut viam ad oculum repetere, sed asseruari atque alio saltem loco ac situ reponi, quam quod ipsa visionis actio sit, asseritur.

§. XI. Atque hæc ita quidem contingere posse, si actu contingere ita, nondum tibi persuaseris, quis dubitet, atque imaginem, quæ semel picta est in organo, pictam in eo manere posse? neque tanta est, quæ primo intuitu videri posset, difficultas, tot tamque innumeras obiectorum representatorum imagines in tantillo spatiolo, distinctas nec representari posse. Quis enim persuaderet sibi, nisi notissimum esset, atque a posteriori constaret, pingi tot diuersissimorum obiectorum, e quibus egressi radii infinitis modis sibi obuiam facti,

facti, distinctas tamen imagines in oculo posse? per neruum opticum, qui omnem picturam turbare videtur; & motum plane diuersum, continuari in cerebrum, atque ibi denuo distinctissime videri posse? quis quæso diuinæ sapientiæ ac omnipotentæ limites circumscribet? Omnia enim, quæ vulgo ac tota die fiunt, admiranda sunt, omnem fidem nostram atque conceptum supergressura, nisi quotidiana atque omnibus indubia essent. Omnem difficultatem non in ipsis rebus, sed nostra imbecillitate esse, qui penitius inquirat, facile inueniet, neque etiam hæc minutiora, atque theologica consideratione indigna videri debent; Constat enim, Maiestatem Diuinam, atque infinitam potentiam sapientiæque Eius magnitudinem maiora documenta non habere, quam subtilissimas rerum minutissimarum compositiones, nec quidquam aut theologo aut theologica contemplatione dignius est, quam Maiestatis Summi Numinis criteria, in penitiori rerum naturalium scrutamine obuia, cognoscere ac reuereri.

§. XII. Caterum ineffabilis illa artis structura, cerebrum, eiusque mirifica compositio, ac partes, apprime mihi huc facere videntur, asseruandis dictum puto, obiectorum semel representatorum ideis in organo; Idem nimirum hic contingit, quod in speculo, idemque, sed maius tantum, artificium est. Vti enim imago rei nonnisi in solo speculo pingitur, vterius non extenditur, atque ipsa illa pictura remoto vel speculo vel obiecto cessat ac perit, ita disponi in eum modum a Creatore organum potuisse, vt delineatae imagines iidem inhæreant, permaneantque, eo minus dubium videri potest, vbi ipsam picturam illius per neruum continuationem atque in interiori organo representationem consideramus. Eas tamen ideas a situ, in quo ipsa representatio fit, subinde longius, subinde propius remoueri, ita, vt vel facilius vel difficilius aut reuocari ab anima, aut casu motuque fortuito in pristinum redire situm queant, ita vt animæ subinde

de invitæ obuerfentur, fubinde citius aut ferius compareant, fponde fua ex fuperioribus fluere arbitror.

§ XIII. Hæcque, vti mihi quidem videtur, plana facilis atque genuina tum memoriæ atque reminifcentiæ tum etiam Phantafiæ ratio eft. Explicari quoque inde omnia menti noftræ circa rerum materialium ideas, operationes, ac phænomena commode poffunt. Nimirum interior fenfuum officina in cerebro, quod ex hæctenus dictis colligitur, habet fe inftar inftitiffimæ cuiusdam atque ordinatiffimæ penus aut bibliothecæ, nummorum, lapidum, repositorii, aliusue gazophylacii, in quo omnia afferuantur, fuis quæque reposita loculis, fuis diftincta ordinibus, quæ per externa fenfuum organa ingefta, atque ibi digefta ac difpofita funt. Exinde anima noftra, vel vt promus quidam condus, vel vt eruditus librorum Euclio hinc inde, hæc illa, modo promit, modo condit, hoc fæpius, illud rarius contemplatur, & ita porro. Atque hoc ita fieri, experientia comprobatur, quæ, inefle menti noftræ facultatem, qua fibi aliquando repræfentatum iterum repræfentare obiectum queat, facile docet. Nempe non revocare tantum ideas fibi antea propofitas mens noftra potest, fed & novas fibi fingere, intus, quæ in externo organo nunquam, fæpiusque in rerum natura non, exiftunt, aut vquam exiftent; Id cum ab ipfâ anima neutiquam efle queat, neque tamen fit ab exteriori obiecto, patet, ideas illas ex diverfis diuerfarum idearum partibus compofitas efle, vel phyfico motu inter fe commixtas, vel ab ipfâ mente ita coniunctas, quæ hoc opere coquum refert aut medicum, ex pluribus fimplicibus varia compofita vel fercula parantem vel pocula, aut potius Typothetam promptiffimum, qui ex diverfis repositoriis literas modo in vnum colligit, modo iterum reponit.

§ XIV. At vero contraria viciffim experientia edocemur, animam fubinde, vbi has illasue priores repræfentationes fibi denuo præfentes fiftere defiderat, fruſtra laborare,

re,

re, neque eas adducere neque inuenire posse, licet alias consuetissimas & plurimis vicibus revocatas, licet omnes in id vires nisumque intendat; alio vero tempore vel ipsam illam haecenus frustra quaesitam, vel aliam ideam, iam nunc non desideratam, animam vel inuita occurrere, nec quandoque ex eius intuitu repelli posse. Huius rei causam motum corporis mechanicum, qui ab animae imperio plane liber ac immunis est, esse, minime dubitandum venit, cum enim motus ille omnes etiam cerebri partes, atque ita illa idearum receptacula ac repositoria, penetret ac percurrat, facile utique conceptu est, qua ratione contingat, ut animae subinde petita ideae non represententur, subinde vero non petita inuita ei opponantur. Atque haec etiam ratio est, qua infantum, qua febricitantium, qua somniantium, qua mente captorum cogitationes dilucide explicantur, quod alias difficile est, ut, qui possibile fit, mentem nostram, diuinum illum ac tantae sapientiae Spiritum, male constituto corpore, agere quidem, sed tam inepte agere, intelligere quidem ac iudicare, sed tam sinistre, quaeque cognoscit falsa ac inepta, ea etiam credere, ac sibi ac aliis firmiter persuadere, vix concipere tibi queas. Sed posita hac, quam diximus, theoria, reuera vident, quae credunt, cumque anima de rebus materialibus nonnisi secundum materiales earumdem in organo representationes iudicare queat, neque illi aliter, ac turbato organorum ac partium motu representationes fiunt, videre, audire, credere possunt. Hinc etiam est, quod interualla habeant, hinc est, quod imagines menti sistant, nullibi extantes, commissis nimirum diuersorum repositiorum ac in vnum compositum suis ideis. Hinc est, quod plane iterum conualescere queant, vbi quoad corporis morbum conualuere.

§. XV. Sed vel tandem nobis propius ad portum nauigandum est, quem intendimus. Diximus hucusque de rerum materialium in mente nostra ideis. Constat alias in eadem de rebus immaterialibus, mere speculativis, abstractis,

moralibus, metaphysicis, logicis, ideas esse; Vbi quidem illam litem nostram non facimus, quæ de Ideis innatis atque acquisitis inter eruditos est, neque de veritate Canonis: Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, heic disquirimus. Sed id vnum in præsentia defendere sustinemus, quod ad illustrationem eorum, quæ sequuntur, conducit, nimirum rerum immaterialium ideas nonnisi materialium aliarum occasione gigni, nec nisi earum adminiculo suffulciri, siue, quod idem est, mentem nostram pro iis limitibus, quibus a supremo Creatore iam circumscripta est, etiam de immaterialibus cogitare non posse, nec sibi consciam esse, nisi materialium organorum situ recte constituto. Finge nimirum hominem omnium sensuum vsu destitutum, quodnam putas cogitationum eiusdem, præter nihilum, obiectum futurum? Id quod in sensuum defectu, vbi anima nihil sibi conscia est, abunde patet manifestumque fit, quem proinde mentis deliquium dudum appellare solemus.

§. XVI. Neque vero opus est, vt nobis in Theologica consideratione constitutis, adcurate de hoc idearum immaterialium cum materialibus nexu ac origine constet, modo de ipsa idearum vtriusque generis existentia conueniat, id quod hoc loco præsupponimus. Nimirum deprehenditur mens nostra in perpetua actione versari, atque non tantum repræsentata sibi obiecta cognoscere, sed & de iisdem eorumque qualitibus, an appetenda sint, an auerfanda, iudicium ferre, tandemque ipsa illa vel auersari vel appetere, aut saltem iis ita adfici, vt eorum præsentiam, vel in præsentia vel in futuro, vel in præterito, aut suauem sentiat aut aduersam; illas strictiori sensu cogitationes vocamus, has passiones vel adfectus; illæ ad intellectum potissimum, hæ ad voluntatem pertinent.

§. XVII. Neque hic subsistit mentis nostræ vis ignea, sed a physica rerum consideratione ad metaphysicam, Logicam, atque moralem progreditur. Hicque demum infinita  
eius

eius ac admiranda virtus mirum quantum exseritur. Tam varias scilicet, tam multiplices, numeris ac modis, eiusdem obiecti considerationes instituire potest, vt ineffabilis inde vis elucescat. Repræsento enim sibi vno indiuiduo, materiali, non modo eiusdem aut diuersi generis alia entia, itidem materialia, sibi repræsento aut ex mille diuersis vnum aliquod componere valet, sed vnius huius occasione centum ac mille sibi conceptus fingere immateriales, específicos, genericos, atque ad affectiones rerum vniuersalissimas, per eosque ineffabili celeritate modo adscendere, modo descendere, circa eosdem cogitando vel longius vel breuius, vel de hoc vel de illo obiecto, immorari, seque ad omnia hæc pro libero suo arbitrio determinare; Sed etiam de ipsa tum rerum, tum propositionum de iisdem, tum ipsarum suarum cogitationum, veritate ac iustitia iudicium ferre, sibi ipsi obiectiōnes tum nectere tum ad easdem respondere, seque ea de re tum accusare tum excusare; quod ita effert Apostolus ad Romanos II. 15. μεταξύ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορεῖσθαι ἢ καὶ ἀπολογεῖσθαι.

§. XIIX. Eandem autem harum, strictius ita dictarum, cogitationum rationem esse deprehendimus, quam supra obseruauimus de repræsentionibus rerum materialium, vt non haberi modo a mente nostra, sed & conseruari queant, aut vltro, vel ipsa non cogitante, conseruentur, ita vt, quod aliquando cogitauimus, id iterum cogitare queamus, atque de eodem obiecto cogitationes nostras modo dimittere, modo reuocare, ita tamen, vt nobis perpetuo presentes non sint, sed subinde inuitæ redeant menti nostræ ideæ, subinde eiusdem imperio, id quod eo maiori admiratione dignum est, quod mere immateriales eas esse constet. Cum tamen ex ipsæ aliis materialibus quasi suffulciantur, vt supra nobis visum fuit, nec nisi earum occasione nascantur, hinc etiam explicari posse videtur, qua ratione contingat, vt menti nostræ ear, quas habuit, cogitationes, subinde iterum obuersentur, sub-

inde non obuertentur. Nimirum quicquid anima, corpori vnita, cognoscit, mediantibus corporis organis cognoscit, atque ita etiam, vbi de rebus immaterialibus cogitat, propositiones tamen de suis cogitationibus componit verbis conceptas, harumque propositionum ideas in organis illis afferuari, ex iis subinde reuocari, subinde vltro redire eo, vbi anima repræsentantur, concludimus; Hæcque altera memoria, circa res immateriales, ratio est.

§. XIX. Vnum adhuc est, quod, priusquam hinc discendamus, obseruari oportet, nimirum, vti rerum physicarum ideæ, vel inuitis nobis in oculum aut aurem incidunt, ita non minus contingere, vt de immaterialibus cogitationes, non eæ tantum, quas olim habuit mens nostra, subinde sponte sua, atque ea non cogitante, aut nolente etiam, redeant, sed nouæ etiam, quas numquam habuit, nec vnquam fuisset habitura, vt videtur, eidem suboriantur, a quibus, quam primum earum sibi conscia fit, abhorret, frustra eas fugit, atque vt vel nunquam aduentassent, vel ocius retrocedant, anxie anhelat; deque hac ipsarum origine iam peculiariter dispiciendum.

§. XX. Vti perpetuæ sunt corporum materialium inter se communicationes, modo ipsorum naturæ conformi, atque vti in nostri corporis organis delineantur, quæ extra illud circa alia corpora contingunt, ita & suam esse inter substantias immateriales communicationem, modo ipsarum naturæ conformi, etsi nobis hæctenus incognito, siue, communicari vni substantiæ intelligenti atque ab hac cogitari posse, quid aliud, aut plura alia entia intelligentia intelligant, aut cognoscant, indubium esse, reor, atque facile exinde demonstratio, quod ipsæ illæ substantiarum materialium inter se communicationes non ab ipsis illis, sed a substantiis immaterialibus cognoscantur, vltimaque repræsentatio & cognitio non in organo materiali, sed in immateriali mente sine dubio fiat; atque ab hac tandem cognosci & immateriali quodam modo  
in



in ea delineari, quod materiali modo delineatum in organo fuit, virtute quadam menti nostræ a sapientissimo creatore congenita, cum necesse atque indubium sit, palam est, per similem, IN IPSA MENTE representationem, eadem supremi Creatoris voluntate, menti nostræ ea etiam representari posse, quæ in aliis mentibus existunt, vel ab iisdem cogitantur. Hæc ipsa tamen, cum menti nostræ non communicari possint, nisi vt propositiones quædam verbis conceptæ, mox materiales earum ideas, vel ab ipsâ mente nostrâ, vel ab exteriori illa, in materiali organo representatione delineari, credimus.

§. XXI. Vbi vero de natura ac indole Cogitationum hætenus dispiciebamus, commode in mentem veniunt sublimes illæ, dignæque suo autore cogitationes, quas de Cogitationibus nobis, quo solet ingenio ac suauitate exposuit Clar. BROCKESIVS in dem irdischen Vergnügen in GOTTE p. m. 382. sqq. vbi eas peculiare substantias esse, ab anima progenitas, non minus ac aliæ, perpetuo durantes subsistentesque, sibi persuadet. Ea, vt exinde speciem non exiguam nancisci videntur, quod reuera cogitationes nostras, etiam postea quam a mente nostrâ habitæ sunt, diu ac diutissime vna cum ipsâ anima supersites perseverare videmus, quod tamen, qui mediante materiali idea ac organo contingere queat, superius monitum fuit, ita fateor, valde me affecerunt, licet, an ita se habeant, tam nondum asseuerare velim, quam habere se ita posse, negare nolim. Alia tamen ex hæc de Cogitationibus Meditatione Cogitatio mihi subnata est, non indigna forsân, quæ hic subiiciatur; si nimirum hæc ita, atque cogitationes nostræ Hypostasés sint, quæ vere ab anima producantur generenturue, vere tamen in eadem subsistant; non essentialiter quidem, realiter tamen ab illa distinctæ, habebimus simile aliquod generationis in Diuinis, si quidem simili explicari potest, quod sui simile non habet. Vnde, licet magna sit dissimilitudo, illa tamen nunquam tolletur, ne quidem

dem per ipsam Personalitatis vocem; atque inde etiam ratio pateret, cur genitus a DEO filius λογος, cogitatio, appelletur. Cum enim, verba FVLGENTII sunt Lib. III. ad M O N I M V M, mens cogitat, & cogitando verbum intra sese generat, sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat apud se. atque, quod Ge. CALIXTVS addit in CONCORDIA p. 13. *Quemadmodum verbum mentale tam diu durat, quam diu perseverat Intellectio; ita, quia in sempiternum permanet Patris Intellectio æterna & indivisibilis, in sempiternum quoque permanet verbum, quod per eam producitur, de quo alibi.*

S. XXII. Hæcque est excellens illa atque præstantissima mentis nostræ prærogatiua, qua tum ipsa splendidissime fulget, tum a ceteris Dei operibus, tot ac tantis tamque inlustribus, distinguitur, quaque ad ipsam Dei essentiam quam proxime accedit, & quod præcipuum est, Infinitum Ens, o quam perfectissimum, non quidem capit, infinitis tamen ac in infinitum maioribus modis cognoscit, cogitandi facultas. Quidquid enim in homine egregium est, quidquid præcipuum ac inlustre est in orbe, atque quod ipsam perfectissimam Supremi Entis essentiam absoluit fere, cogitandi facultas est; Hæc, quæ sunt, cognoscit; Hæc, quæ sunt, dirigit; Etenim sine ea nec homo, nec orbis, nec Deus forent. Quod rempublicam regit, quod Ecclesiam, quod litteras, quod omnia, cogitationibus debetur, sine his nec Thronus, nec Cathedra, nec libri, nec enses, nec toga, nec sagum, nec vomer, nec aratrum forent, aut frustra forent. Fateor, sine iis nec malum fore, hocque, non secus ac bonum quodcumque, in solidum huic cogitandi facultati adscribendum, non per se vero, sed per accidens, atque omnis, quæque est malo medela adhibenda, ab eadem cogitandi facultate repetitur. Nec quidquam esse reor, quod ad Officium hominis, quoad Fidem ac Vitam, pertineat, præter cogitandi studium ac precum deuotionem; cætera DEVS dabit operabiturque. Atque ex hac ipsa cogitandi facultate ipsam mentis nostræ immortalitatem.

tatem, siue perennitatem durationis recte colligi, vti de aliis, quæ huc pertinere possent, infra forsitan dispiciemus.

*De Moralitate atque Imputatione Cogitationum.*

§. XXIII. Iam enim ad moralem cogitationum considerationem pergendum nobis est, atque de Imputabilitate earumdem, quæ præcipua actionum humanarum, quarum præcipuæ cogitationes sunt, affectio est, differendum. Præcipuam dicimus in homine cogitandi facultatem, præcipuas eius actiones cogitationes esse, absque his enim si foret, nulla eius actio, aut saltem nulla imputabilis foret. Vti itaque externæ hominis actiones vel bonæ sunt vel malæ, legi vel conformes vel aduersæ, ita etiam eadem cogitationes ratione distinguendæ sunt. In humano quidem foro, quod in prouerbium abiit: *Gedanken seynd Zöllfrey*; immunes a censura cogitationes sunt, tum, quod absconditæ sint, tum quod nullum solis e cogitationibus in societatem damnium redundet. Sed nobis de Diuino sermo est, atque de interna conscientia coram Deo obligatione. Et sane non pari tantum cum externis operibus, sed longe fortiori ratione cogitationes imputabiles omnino sunt, quippe quæ externarum actionum primum principium ac causâ mouens sunt, sine quibus si foret, nulla externa imputabilis actio existeret, atque tum bonitas tum prauitas actionis, non ab externo corporis, sed interno mentis, actu repetenda; sine reatu animæ enim si esset, nihil in atrocissimis actibus peccaminosi, neque hi magis mali aut imputabiles forent, quam equi aut muli. Corporis in malo motus ferro siue instrumento assimilandus, quo quis occiditur, mens vero eiusque cogitationes, occisori. Peccatum itaque in mente residet, non in corporis membro, in eius, non in huius motibus, id est in cogitationibus. Et sane nullum peccatum est sine antecedanea cogitatione, mille vero sunt sine succedaneo externo factio; Neque vilo corporis motu Mens infinita, cum omnes illi æque innocentes, neque vilius imputationis capaces sint, offendi-

fenditur, sed interiori mentis nostræ, qui in cogitatione consistit. Et quis dubitat, eo magis actionem aliquam aut minus fieri imputabilem, quo magis aut minus de ea prius cogitatum ab anima fuit; Dubium est, an quidquam sit in mente, quod non prius fuerit in corpore, indubium est, nullum actum peccaminosum fieri in corpore, qui non prius fuerit decretus a mente. Adeo non mentis operationes siue cogitationes ab imputatione liberæ, vt potius eidem præcipue ac solæ obnoxia sint. sique exempla desideres, omnia angelorum, qui fære, peccata non in corporum, quæ non habuere, sed mentium vitiosis actibus consistere. Hinc & tanto opere non a prauis modo operibus, sed a prauis cogitationibus nobis cauere ab ipso Deo, atque abstinere iubemur Esa. LV. 7. atque fons & scaturigo mali menti siue cordi adscribitur, Gen. VI, 5; IIX, 21. Matth. XV, 19. Deus non tantum externa opera, sed intimos mentis recessus cordisque consilia scrutari atque olim, vti & nunc iam per verbum ac conscientiam Ebr. IV. 12. Roman. II. 15. iudicaturus dicitur I. Cor. IV, 8. Vti etiam, quod præcipue huc pertinet, Christus, vbi verum legis Diuinæ sensum explicat, Matth. V. omnia ad internas mentis destinationes reuocat, vt qui adspiciat in corde sceminam, adulterium; qui odio fratrem habeat, homicidium commisisse dicatur, commate 28. i. Ioh. III, 15. præuæ etiam concupiscentiæ, quæ nonnisi interni in mente nostra motus, id est cogitationes sunt, eodem Interprete in VI. ac VII. præceptis iam prohibita, cum denuo IX. ac X. expressis nominibus prohibeantur, abunde patet, primos etiam ad eadem motus Deo abominabiles esse. Atque ipse DEVS in V. T. Israelem, tum sanctissimus Seruator in N. T. Phariseos toties peccati in cogitationibus abditis commissi reos fecit, e.g. Matth. IX, 4. & sexcenta alia. Hinc & non solum custodire cor suum omni cura, qui vitam custodire vult, Proverb. IV, 23. sed & qui hanc restaurare per penitentiam ac fidem cupit, cor suum lauare euacuareque, profanas cogitationes

tationes dimittere Ierem. IV, 14. abstinere iisdem Esai. LV, 7. nouum sibi cor assumere Ezech. XII, 31. eiusque fraudes deponere Actor. IIX, 22. aliaque similia iubetur. Ipsi quoque fideles ad intima cordis sui penetralia prouocarunt, eaque DEO scrutanda obtulerunt Psalm. CXXXIX. sed & ipsa eorum corda ac conscientia purgata per fidem ac sanguinem Christi dicuntur. Actor. XV, 9. Ebr. IX, 14. Iidemque nouum ac mundum Cor a Deo precati sunt. Psalm. LI, 12. Imo longe maioris momenti interna animi peccata, quam externa opera ex eo etiam censerentur debent, quia liberiora illa sunt, quam hæc, quæ subinde mixta, metu aliaue causa mouente, persuadente, producta, illa vero plane voluntaria, atque merè proæretica sunt, vnde rectè Georgius TULLIE Anglus de IMPERIO COGITATIONVM von der Beherrschung der Gedancken, vbi iucunde hæc grauitèrque explicat, externa opera coactò, interna mentis peccata voluntario, Satanæ militi comparauit, animam, siue subinde Satanam, peccatorum parentem, quo gignantur; externum vero corporis actum obstetricem saltim, esse, per quam in lucem edantur, dixit. Atque frustra omnino tibi a peccaminosis externis actibus cauebis, si non prius tibi a peccaminosis mentis actibus sollicitè caueris, neque enim, qui male cogitat, bene agere potest, de quo infra dicendi locus recurret.

*De Cogitationibus prauis in specie.*

§. XXIV. Et sane, quam pestilens sit peccati virus, etiamsi intra folium mentis arcana pomœria contineatur, nec hæcenus extra serpat, quamque seuera eius coram conscientia, quæ diuinum in mente nostra tribunal est, imputatio sit, ab ipsa Experientia satis edocemur. Cuicumque enim actus cum animabus Diuinam sub peccatis gratiam anhelantibus, atque familiarius paulo commercium est, plurimas ille inueniet, subinde innocentissimas, tum in penitentia actu, siue ea salutaris sit siue desperabunda, tum in pietatis ac fan-

rificationis studio, non ea modo peccata delere, quæ exter-  
 nis actibus commissa sunt, sed & ea etiam acerbè deplorare,  
 quæ in interiori mentis vitio hærent. Eo sæpissime interni  
 aut accusatoris aut iudicis furore, vt vix ac ne vix quidem  
 solidissimis locum dare solatiis queant, saltem frustra labora-  
 turus fores, vbi extenuare labem illorum, atque leuiora ea  
 mentis cogitationumue peccata aliis esse, asserere ac persuadere  
 iis velles. Cum enim peccatum in ἀνομία consistat, siue ab-  
 erratione atque recessu a lege vel voluntate diuina, pecca-  
 tum erit, vbicumque vel quacunque ratione aut parte ab ea  
 recedas, imo maior, si in præcipua, mente. Cum peccatum  
 execrabile coram DEO sit, execrabilemque hominem coram  
 Eo reddat; reddet, quocunque demum modo eum infecerit;  
 cum nullibi illud in homine, gratiæ participi, ac æternæ  
 Salutis Candidato, existere debeat aut tolerabile esse; neque  
 in mente, neque in cogitationibus aut existere aut tolerari  
 poterit. Quid, quod longe maiora sint hæc interiora, quæ  
 mentes, peccati odio impletas, adfligunt, conscientiæ tormen-  
 ta, quam quæ subinde alii ob atrocissima facinora ipso opere  
 commissa sustinere necessum habent. Videlicet, cum pecca-  
 minosi illi actus exteriori opere commissi, vel semel tantum,  
 vel repetitis quidem vicibus, attamen per interualla, com-  
 mittantur; illæ vitiosæ mentis adfectiones, illa interiora cogi-  
 tationum peccata, perpetua fere sunt, semper ac vbique te  
 comitantur, vbi vbi secedas aut derelinquere eas instituas; &  
 consilia tua impediunt & opera, sanctissimas quasque desti-  
 nationes tuas, sincera mente vix conceptas, aut in lucem edi-  
 tas, corrumpunt, turbant, maculant, iugulant, profanant, vt  
 cum vix velle a te impetraueris, operari non inuenias, sed  
 hostibus non ad portas tantum, verum intra easdem iam stan-  
 tibus vastantibusque, non quæ velis, facias, sed quæ nolis,  
 quæ abhorres, atque cum Apostolo exclamare debeas: Τα-  
 λάιπωρος ἐγὼ ἀνθρώπος. Τίς με ῥύσεται ἐκ τῆ σάρματος τῆ θανάτου  
 τῆς; Rom. VII, 24.

§. XXV. Et sane, qui propius his confictibus adfuerit, laborantibusque animabus in iis succurrerit, aut ipse hos interni hostis insultus fauitiasque in se fenserit, ferrumque per viscera adactum, facile atrocitatem horum perspiciet, aut credet saltim, perspicere enim amplissimum hunc malorum campum non difficile modo sed impossibile videtur. Nimirum, vbi peccatum totius cordis odio prosequeris, & tamen totius cordis ambitu illud diffusum videas; cum idem in aliis ac e longinquo abhorreas, & tamen id in te ipso ac intimis viscerum medullis perferre debeas; vbi memoriam eius fastidis, ac siquid a te admissum fuit, animus, si reminiscaris, refugit, & tamen non vnum illud, sed innumerum in temetprehendas; si Lernææ huius Hydra extrinsecus caput vnum feces, intrinsecus mox decem alia, mox mille noua agmina renasci, si frustra te laborare ac laboraturum, si omnem spem tibi eripi, si atrocissimis Ipsum sanctissimum DEVM a te blasphemias adfici, aut plane negari; si OPTIMUM SERVATOREM contemni, si spurcissima quæque ac infanda a te cogitari, videas, si non puderet te modo, sed & exhorresceres, e hominibus si honoratior quidam aut honestior tuas de aliis cogitationes rescisceret, quid ni exhorrescas, omnisciente DEO tuas contra Ipsum cogitationes sciente? illa ἐχιδνῶν γεννήματα oportet esse mentis tuæ viscera, quæ, qui viam Christo parauit, abominatur Matth. III, 7. quibus ipse Christus τὴν τῆς γεννητῆς κελσῶν minatur Matth. XXIII, 33. teque τὸν πονηρὸν ἄνθρωπον, malum illum hominem esse, qui οὐκ ἐστὶν πονηρὸς ἤθεος τῆς καρδίας ἐκβάλλει πονηρὰ, qui non potest bona loqui, quia malus est, ac mala cogitat Matth. XII, 35. malam illam arborem, quæ non potest bonum fructum ferre VII, 18. eoque nomine eradicandam atque in ignem abiiciendam æternum, non enim nisi οἱ καθαρὸὶ τῆς καρδίας μακάριοι, nonnisi puri corde beati atque DEVM VIDEBUNT Matth. V, 8.

*Contra prauas Cogitationes solamina.*

§. XXVI. Hæcque vobis ita videntur, o dignissimæ misericordiis animæ, atque indubia videntur, sed videntur saltim, non sunt. His etiam, licet ex mente tua desperatis, rebus, præfens adest medela. Equidem cogitationibus etiam peccari posse, & suo modo atrocius peccari posse; non tam abominabilem DEO externum peccati, quam internum mentis, actum esse, atque ita etiam cogitationes imputari, certum supra que euictum est. Verum non omnes imputari, neque omnes, licet in se malas, licet pessimas, licet execrabiles atque horrendas, non tamen homini tales esse, iam iam euincetur. Nimirum ratio dicitur, non imputari actionem nisi ei, qui eius causa est, neque aliam, nisi prælucente Intellectu & discernente voluntate susceptam. Superius atque hæc ipsa de causa monitum est, plurimas Ideas tum materiales tum immateriales, menti nostræ, sæpius nolenti & quam maxime inuitæ, obuerlari. Illæ, quando obiecta prius sensibus impressa fuere; Hæ etiam nouiter ac recens demum; illæ, quoniam realiter in organo supersunt atque accedente peculiari sanguinis motu, neruorumque tono in pristinum sua sponte situm redeunt; Hæ, quoniam etiam intelligentium siue immaterialium entium inter se communicatio datur, a deo, vt mens nostra vel ab illo idearum materialium recursu, vel ab hac noua immaterialium suggestionem non magis cauere sibi queat, aut iis abstinere, quam castissimus oculus aut auris ab obiecto spurcissimo improuise sibi obiecto; Ea nunc paulo vberius explicanda videntur.

§. XXVII. Si quid oculis, si quid auribus aliusue sensus organo perceperis, quod inhonestum, quod spurcum, quod impium est, eius superstes viget in te vel inuito idea, atque vbi ipsa hæc menti denuo obuerlatur, in eum quo primum representata fuit, situm rediens, eius non potest mens tua non reminisci. Quo plura itaque eius generis



ris obiecta tibi olim fuerint obiecta, vel si tibi ipse obieceris, aut quo diutius iis contemplandis inhæseris, eo plura, eo sapius, eo fortius, accedente præcipue inordinato partium motu, qui variis de causis contingere potest, eorundem idearum recurrent. Tu, qui primum vitiosam illam ideam vel adquisiisti, vel admisisti saltim lubens volensque, quotiescunque ea, vel sponte vel quaesita, te tamen adprobante accedente, recurret, noui peccati reus es, de eoque teneris. Causa enim recte imputatur effectus, atque sequela vitiofa autori; tolli vero, ut caterorum, ita & huius peccati reatus per penitentiam potest, postquam si eadem peccaminosi actus idea recurrat, sed inuito, sed dolenti, non peccatum, sed eius idea est, quæ contristari te, non damnare debet, atque ideo forsitan superstes relicta a DEO, ut eo testator memoria, ut eo perennior penitentia fit.

S. XXIIIX. Explicatio res est, ubi primæ mox ideæ inuito tibi obtigerunt. Ea enim, nisi per ipsum mentis tuæ imperium redeant, tam non imputabiles sunt, ubi animæ inuitæ representantur, quam non erant, cum inuito oculo primum representarentur. Nec est, quod obicias, animam abiicere earum memoriam debere, aut negligere saltim, si plane abiicere non possit; Neutrum enim ex principiis supra positis intra eius vires consistit, atque non potest Idearum realiter sibi propositæ obliuisci, noue enim cognoscit; speciosius est, quod subinde reuerunt tentatæ in hunc modum animæ, non redire tantum in mentem suam impias illas idearum, sed hanc easdem humanitate ac complacentia quadam excipere, hospitibusque, quos admittere non debebat, quasi adsurgere. Cum ita conqueritur mens tua, & quam primum tales in se erga eas complacentiam obseruat, ita conqueritur, patet, non esse mentem tuam, quæ hoc complacentiæ amore illas excipit, aut saltim primos hos motus, inuoluntarios in tua mente, neque in eius potestate esse, id quod præter experientiam sacræ paginæ abunde testantur, atque ex iis apud omnes

mnes earum doctores tam in confesso quam conuicto est. Sed & hoc ex iisdem indubium est ac certissimis argumentis colligitur, non imputari primos hos motus iis, qui secundos non admittunt, sed resistunt, aut vbi resistere non valent, saltem a se ipsi, id est, a malis illis in mente sua motibus, dissentiant atque abhorrent. Nimirum cum materiales illæ in organo ideæ alias excitent immateriales in mente, contingit, vt mens nostra, representato quocunque obiecto, per naturam suam de illo iudicare, atque vel appetere vel auersari non possit non. Constat porro, eam esse mentis nostræ, post primam ab Adamo labem contractam, corruptionem, vt primi illi atque necessarii motus, siue adpetitus atque complacentia, plane non ac numquam boni, sed tantum mali sint, Genes. VI, 5. IIX, 21. Ps. LI, 7. Matth. XV, 19. Rom. VII, 18. atque de mente nostra dici debeat, quod de se Dauides, nihil omnino in ea sanum esse, Psalm. XXXIIX, 4. Iam vero cum omnem peccati ab Adamo in omnes deuoluti reatum Christus sustulerit, motus illos non amplius esse in iis, qui CHRISTI SVNT, imputabiles, consequitur atque inuictum est. Rom. IIX, 1. II. Corinth. V, 19.

§. XXIX. Fatendum autem omnino, tam diuturnos subinde atque feroces illos in mente nostra motus esse, vt primi dici, vel primis accenferi plane nequeant. Heic itaque alio consilio opus, illudque ex supra obseruatis in promptu est. Non omnes mentis ideæ ab exterioribus sensibus oriuntur, sed quædam etiam ab aliis substantiis cogitantibus immediate possunt menti nostræ communicari. Substantiæ illæ sunt, DEVS, Angeli, Diaboli, mentes separata; misam facio de posterioribus quæstionem, sed vt de DEO neminem dubitare constat, ita neque de angelis neque Diabolis dubitandi locum esse arbitror. Vix enim defungi rite suo prioribus illi officio possent, neque rite eos eo defungi credendum esset, nisi & intus subinde ministratis variis cogitationibus, vel a malo abstraherent, vel ad bonum incitarent creditos fidei suæ

suæ homines. Ego quidem nullus dubito, non mediate tantum siue remote omnia, sed immediate etiam siue proxime aliqua, plurimasque bonas cogitationes nobis a DEO vel Angelis ministrari. Idem circa prauas cogitationes a Diabolis fieri, minus habeo, quod dubitem, Aperte enim hoc probant loca 1. Petr. V, 8. 9. vbi τὸ περιπατεῖν καὶ ζητεῖν præcipue de interna in ipsa mente tentatione necessario accipiendum, atque Eph. VI, 11. quem locum eundem sensum habere, ea, quæ restituris commendat, arma satis edocent. Et sane nisi suas nobis cogitationes communicare Diaboli possent, frustra ac impossibile foret, vt quisquam eorum nos vel tentet vel seducat; Accedit ipsius a posteriori experientia testimonium, ineptum enim est, asserere, id ab ipsa hominis mente esse atque produci, quod eo ipso, dum producit, mens nostra exhorrescit, auersatur, atque in malam crucem infinitis modis abire ac abesse optat. Ita sibi ipsi aduersa mens nostra foret, quod absouum, ita idem & simul appeteret ac auersaretur, quod contradictorium; si quis tamen mallet menti ipsi tribuere, peruersaque eius per peccati primi labem natura, quod nos hic Diabolo imputamus, eadem utrinque consequentia erit, nimirum motus illos, etiamsi primi non sint, sed repetiti, etiamsi continui, inuoluntarios tamen nec imputabiles esse; malum, quod cogitas a natura, quod abhorreas, a gratia est. Atque ipsa illa natura nostra corruptio, qua quod velis, nolis, nullam ideam habere potest, nisi hanc: aliam in mente nostra substantiam velle. Vnde Paulina Distinctio, Rom. VII, 19. 22. qua de paullo inferius, inter se ac peccatum, inter carnem ac Spiritum; Interiorem, ac Exteriorem hominem. Hæcque cordis duplicitas, magnum alias vitium, hoc sensu verum magnumque solatium est.

§. XXX. At vero non miserrima tantum, sed commiseratione etiam dignissima sit anima nostra conditio, oportet, quæ hæc ignea Satanae tela, hos κολαφῆς eius exhorrescendos, terribilesque mugitus non e longinquo minantis percipere,

sed intus ac in ipsis viscerum medullis favientis perferre debet. Non enim minus male habet, quam agreste quoddam tugurium, cuius incola in solitario rure habitans, latronibus etiam ac percussoribus aditum hospitiumque & inuitus & tremebundus præbere debet; quam honesti civis ades, in quibus ingressi eas milites dominantur, bachantur, tumultuantur, supremis ima, quadrata rotundis, miscent, nec quidquam proficiente, dolente licet aut fiente, Hospite. Virginem refert mens tua, per vim a stupratore oppressam, etiam ubi pravam illam prolem, cogitationes, enixa est, cui gratiam DEVS ac misericordiam, non pœnam, decrevit, *Deut. XXII, 26.* scilicet omnia illa quamvis atrocía ac atrocissima IN TE quidem sed NON A TE fiunt, non enim oscula figis, non amplexus alternas, non verbis sollicitas; nec brachia iungis, nec dextram porrigis. Sceleratissimæ illæ cogitationes non tuæ, sed in te Diaboli sunt. Tela sunt, quæ in te hærent quidem, imis infixæ medullis, verum eminus eo iacta, quibus non tu DEVM, sed te Satanæ petit. Non tibi magis, post fidem, quam ipsi DEO imputabiles sunt, id est plane non sunt. Noli, vt profanam, hanc vocem contemnere, sed vt veritatis non minus, quam solatiū plenam expendere. Ingens autem hoc fidei artificium, piūque, si ita compellare liceat, ad declinandos Satanæ impetus stratagema est: impia ac blasphema aut inhonesta illa, plane non vt sua agnoscere, eo nomine coram DEO ac conscientia protestari, Paulo nos hoc edocente *Rom. VII. 20.* *Εἰ δέ, ὁ ἔθελω ἔγω, τὸ τοιοῦ, ἢ ἐν ἐγὼ κατεργαζομαι αὐτο, ἀλλ' ἦ ὀκνησα ἐν ἐμοὶ ἀμαρτία.*

§. XXXI. Differt utique Hospitium ab Hospite, atque naturalis eius verusque Dominus ab vsurpante occupatore. Neque est, quod horrescas, quod plus fatis hoc malorum esse exclames, Satanæ eiusque imperio ita subiectum esse, atque in imis ipsum penetralibus asseruare, vt pro lubitu illud sæuaque tyrannide in te exerceat. Neque illi neque tyrannidi eius, neque diris huiusmodi cogitationibus locum in te fore, si tu in statu Diuinæ gratiæ fores; iam vero illius vim  
ac

ac præsentiam satis fatisque demonstrare, abiectum te a DEO Eiusque gratia, subiectum Satanæ eiusque permiffum tyrannidi esse. Namque & heic medela fupereft, fiquè hæc ita fe, vti putas, haberent, conftat, non modo Satanam circumire, *ὡς λέων ἀγρόμενος, ζητῶν τίνα καταπίη* 1. Petri V, 8. fed & Iefum Nazarenum circumiiffe benefacientem fanantemque *πάντας τὸς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ Διαβόλου, ὅτι ὁ Θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ*. Aétor. X, 38. Vnde fi & fummmum & omnimodum in te ὁ ἀντιδικὸς imperium tamquam Dynafta aliquis exercuiffet, præfentem tamen in Optimo Seruatore & Liberatorem & Medicum habebis ad eumque nusquam non fecurus recurref. Hucque & ad te, adficta hoc nomine anima! pertinet, quod Apoftolus ac per ipfum DEVS acclamat: *Οὐ ἐπλευράσεν ἡ ἀμαρτία, ὑπερπερίσσευσεν ἡ χάρις* Rom. V, 20. Sed neque hoc concedendum DEI non minus quam tuo Hofi eft, te ab eo fub poteflatem redactum; Nihil enim eft, quod hoc arguat; exinde certe non confequitur, quod fua in te tela cominus miferit, quod ea tuis hæreant infixæ medullis, neque enim, quæ intrant hominem, immundum eum reddunt, fed quæ ex eo exeunt Marc. XIV, 15. neque qui vulnera infixit, victor, neque qui accipit, victus eft. Scilicet non Satanam in te efle, fed tela eius, credendum eft; hæc ima tua penetrare poffunt, illo longe remoto; fiue vt tandem ad Philofophicum dicendi genus redeam, prauæ cogitationes illæ nullum Satanæ in te imperium, nullam mentis tuæ fubiectionem indicant, fed bellum falim, quod vti que, non inter focios, nec contra fubditos, fed inter, fed contra hoftef geritur. Hoftem itaque, non Satanam modo tibi, fed & te Satanæ efle oportet, qui eius tela fentis, qui eius vulnera ab illo inficta doles. Iam vero certiffimum hoc gratiæ ac fidei documentum eft, hæcque ipfa mentis tuæ prauorumque in ea motuum pugna, etiamfi nec in meris ii cogitationibus confiftant, fed ipfa concupifcentia accedat, te nondum victas dediffe manus, te non fatanæ, fed DEI efle, demonftrant.

Eandem enim pugnam fidelibus tribuit Paulus Galat. V. 6. qui locus abunde docet, etiam in renatis sanctis DEI liberis prauos illos Satanæ motus existere, eos tamen nihilominus in perenni gratiæ statu perseverare, non enim hanc per illam prauorum motuum existentiam, sed per tale eorum dominium, vt ipsis non resistatur, sed obsequium ipso præstetur actu, expelli, quod idem ex commatibus 15. & 24. atque Rom. VI, 12. comparet: *Μη βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι, εἰς τὸ ὑπακυῖεν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτῆς*. Sola vero peccati inhabitatio, neque eius dominium neque Diuinæ gratiæ defectum indicat, quod infra ex Rom. VI. 14. declarabo.

§. XXXII. Imo si penitius rem consideres, non magis tibi impiæ illæ Cogitationes, quam DEO, vt paullo superius dictum, sua ratione imputabiles sunt, id est, non sunt. Nihil enim est in iis, quod ad te pertineret, præterquam, quod in mente tua, sed inuita, represententur, iam vero, id, de quo ipse doles, hoc est: quod scias, has in te pravæ cogitationes. Ipsi etiam sanctissimo DEO cognitæ esse, id est, in perfectissima eius mente representari. Indubium hoc quidem, sed & tibi innoxium, imo potius supremum doloris tui solatium est. Omnium omnino rerum essentiarumque, quæcunque ex sint, vel bonæ vel malæ, Ideæ in Diuino intellectu extant ac representantur præsentissimæ atque perennes. Quam vero absolum foret, has Ipsi tribuere summo Numini, quæ cum in Intellectu extent, voluntati aduersantur; tam foret, menti nostræ imputare, impias in ea, sed inuoluntarias ac ipsius voluntati molestissimas aduersissimasque cogitationes; quæ si a te forent, atque ex voto tuo, ex mente tua, graues tibi non forent, earum absentiam non optares, non excidium. Non vero heic de statu hominis natiuitatis, sed regenitorum gratiæ, sermo est, ita, vt hæc non imputatio, gratiam Dei Christi sanguine partam omnino præsupponat. Rom. ix, 1. quod supra iam est præsuppositum. Neque foret in tuam Satanæ mentem, si ipse es Matth. xii, 25, 26. Luc. xi, 17.

18. aut hoc saltem iniunctum est, cum aliæ in mente tua cogitationes sint, prioribus illis, queis malum adpetis, contrariæ, quibusque eas ipfas nauseas ac auerfaris, dubium adhuc esse posse, quæ imputari tibi debeant, cum tantum ex his animæ tuæ innocentia, quam ex iis prauitas eius, elucescat. Licetque in moralibus una actio mala bonas omnes corrumpat, id tamen de voluntariis tantum actionibus capiendum.

§. XXXIII. Contra ea, manifesta Diuinæ gratiæ ac fidei Documenta ex his cogitationum in te pugnis deducuntur. Potiorem in ordine salutis eiusque salutari adplicatione partem Tentatio occupat, sine qua scopum sibi in eo ordine propositum neque DEVS neque homo attingeret. Iam vero ipsa illa in tali ad malum per prauos motus in mente nostra sollicitatione consistit, neque alia tentationis idea esse, neque sine his vlla tentatio cogitari potest. Licetque eam per externa potius obiecta fieri contenderes, ea tamen diuinam in tentatione intentionem non exhauriunt, ac etiam si id daretur tibi, ipsa tamen mens est, quæ per excitationes in se ab externis obiectis prauos motus, tentationi obnoxia est, minime exteriores corporis artus, quæ non nisi organorum loco sunt. Ex quibus omnibus comparet, etiam si eiusmodi malis cogitationibus excrucietur mens tua, exinde tamen non sequi, te in statu iræ, sed in statu tentationis, id est gratiæ, esse.

§. XXXIV. Locus heic nobis non superest, tentationis gratiam, quæ sane magna ac præcipua est, atque virtutes ac effectus eius illustres & ingentes heic prolixius delineandi. Sufficere tamen putamus, adnotasse, non aliam tentationis mentium angelicarum, o quam beatissimarum! ante factam earum in bono confirmationem, nec etiam Protoplastorum nostrum in felici ac gratiæ pleno Integritatis statu, rationem esse potuisse, quam quod variis ad malum cogitationibus, quibus vel adferri poterant, vel resistere, sollicitarentur. Cum autem is, qui primus succubuit atque e bono malus factus est, ab alio, iam prius malo, seductus non fuerit, patet,

adeo non damnabiles huiusmodi motus in mente, ante præstitum iis consensum, esse, vt potius in ipsa integritate, ac gratiæ statu, tale quid obtinuerit, atque ex ipsa concreata ab optimo DEO libertatis natura profluxerit. Id quod tamen nonnisi de prauis motibus, minime de aliis contra ipsum sanctissimum DEVM directis similibusue cogitationibus dictum accipies.

§. XXXV. Sed & ipsa Sanctissimi Seruatoris, cuius tamen mens innocentissima ac sine vlla labe, neque huius in ea vllum ἀποκλίσμα, fuit, non melior in tentatione Satanica conditio fuit, neque enim cogitandum est, nonnisi verbis ore prolatis Eum a Satana sollicitatum fuisse, sed ideis potius sanctissimæ eius menti propositis, licet & ea, quæ verbis oreque in os ac aurem effutierit, non nisi virus suum in mente prodere potuerint. Cæterum, vt omnes optimi Seruatoris cruciatus non dicis gratia, aut in speciem facti, sed atrocissimi fuere, ita & hæc eius tentatio sine dubio earum pars magna ac inter sæuissimas fuit. Licet enim per sanctitatem suam ab omni peccati adsensu longe remotus atque plane immunis, imo neque ille possibilis fuerit, huic ipsi tamen sanctitati Eius tam scelesti Satanae insultus, tam proterui, tam diuturni, tam feroces eius ad malum sollicitationes, omnem enim sine dubio, quam potuit, artem adhibuit infernalis hostis, non potuere non intolerabiles atque loco doloris intensissimi esse. Iam vero eadem tua, que Seruatoris tui, ratio est, cuius tentatio infinito quidem a tuis gradu, specie tamen minime differt; quid enim est, quod tam infestas tibi has arcanas in mente cogitationes atque ad peccatum sollicitationes reddat, quam, quod ipsum peccatum odio prosequaris? vt castæ mentis oculo & auri graue est, atque ingentis cruciatus instar, ea, quæ castitati obseciunt, audire saltem aut videre.

§. XXXVI. Ingens illud solatium, quod ex hac Seruatoris ipsius sanctissimi, eorundem dolorum communionem tentatis adfluit, nemo est, opinor, qui non cognoscat, quæcunque enim  
in



in te vel ignea vel venenata tela Satanas eiaculetur, plane eadem ipsi Seruatori atque peiora obtigisse confidere licet. Accedit, quod eam ipsam ob causam in omnibus iis tentari, Divo Patre ita ordinante, debuerit, vt in omnibus iis nobis, fratrum instar, assimilaretur: *ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν Θεόν, εἰς τὸ ἰλάσκειν τὰς ἀμαρτίας τῆ λαῶ. Ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι.* Hebr. II, 17. 18. non enim sufficiebat Diuinæ benignitati, ipsum omniscientia sua ea, quæ fratribus suis in absconditis mentis penetralibus contingerent, nosse, sed & vt fidei nostræ succurreret, spemque sufflaret, ipsum ea omnia experiri oportuit.

§. XXXVII. Aliud dulcius melle solatium ex hac CHRISTI tentatione nostris tentationibus adfluit, vbi, quæ eam præcessere, quæ comitata eam, quæ secuta sunt, contemplamur. Nimirum tum, *ἐν θύς*, Iesus tentationi Satanae obnoxius factus est, cum modo sancti Spiritus plenus factus publicum maiestaticumque ab ipso cælesti Patre, Diuinitatis suæ documentum e cælis accepisset: *ἅγιος ἐστίν*, vel vt apud Marcum & Lucam effertur. *Σὺ εἶς ὁ ὁίος μὲν, ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα* Matth. III, 16. 17. IV, 1. Marc. I, 11. 12. Luc. III, 22. IV, 1. ab hoc ipso Sancto Diuini Patris Spiritu actus in tentationem Satanae fuit, atque ea vix superata Eiusdem investitus virtute sanctorumque Angelorum prouisus ministerio infinitum opus adgressus est Matth. IV, 11. Lucæ IV, 14. Sed & illud notandum venit, quod Luc. IV. commate 13. notatur, *τον πειραζομενον* nonnisi *ἀχει κειρεν* ab optimo Seruatore recessisse, suosque insultus sequentibus etiam repetiisse temporibus. Ex quo comparet, atrocissimis Satanae tentationibus cogitationibusque blasphemis obnoxias esse animas, quæ, & tum, vbi diuino repletæ spiritu certissima cælestis Patris gratia fruuntur, id quod cum ipsa experientia de fratribus nostris omnibus in solatium affirmatur 1. Petr. V, 9. atque ita tentationem ad ipsam salutis Diuinæ atque gratiæ æconomiæ pertinere, non tam a Satana, cuius magna quidem sed

cir-

circumscripta tamen vis ac ferocitas est, quam ab ipso benignissimo cœlesti Patre nobis inmitti, quem subinde ipsum fidem ac amorem nostrum probare, ficta in tempus hostis specie, asserere absolum non est.

*Vindiciæ hætenus dictorum.*

§. XXXIIX. Iam vero erunt forsan, qui longe nos a veritate aberrare, atque in DEVM Diuinamque Oeconomiam transcribere, aut satanicis tribuere viribus, quæ non nisi temperamenti ac consuetudinis vitio, dispositioni puta, melancholica, hypochondriacæ, vel natura, vel nimia rerum abstrusiorum meditatione lectioneue contractæ, vnice debeant adscribi, opinabuntur. Ego quidem ex iis plane non sum, qui latiores iustis satanicæ potentiaë limites ponunt, aut ad superiores spiritualesque causas confugiunt, vbi physica, quæ explicandis effectibus sufficiant, in promptu possunt haberi; verum non propius absum ab eorum opinione, qui vbiq; adesse vel sufficere causas physicas sibi persuadent, spiritualesque heic planè in exilium agunt. Nimirum effectus immateriales a materiali ac physica causa produci, planè ἀδυνατόν reor, atque nullam omnino rationem esse, cur blasphemias potius in DEVM ac impias, quam pias ac deuotas, cogitationes affectus splenetici ac hypochondriaci excitare in mente debeant. Quod vero ad Experientiaë calculum, qui facile litem ac sine exceptione decidat, prouocare, qui contra sentiunt, videmus, obseruari nimirum, non modo eos, qui cogitationibus huiusmodi adfiguntur, iis, quos diximus, adfectibus laborare, sed & adhibitis, quæ decet, remedijs, ab eo mentis morbo conualescere, ita vt subinde tam iterum animo in lætitiã soluto, quam antea sollicitudine demisso pressoque, vtantur, sæpiusque ab vno, quod aiunt, quod videmus, in alterum extremum delabantur. Varia enim sunt, quæ heic regeri, varia, quæ fallere possunt. Præcipue vix mihi ratio subesse videtur, cur non potius corporis

ris

ris vitium a mente huiusque diuturnis angoribus contrahi, dicendum sit, quam mentis labes a corpore? primaque mali causa non ab hoc sed ab illa repetenda? id quod rationi non tantum sed & experientiae longe magis consentaneum foret, qua, quod animae contingit, corpus etiam adficere, variosque huius adfectus ac mutationes producere in aperto est. Ego sane firmiter ita sentio, ab aegra mente facile corporis vitium contrahi, a vitioso corporis habitu animae etiam labem, sed non nisi illi corporis defectui ipsiusque mentis habitui conformem, atque iisdem connexam. Nec est, quod denuo ad Experientiam adpelles, quâ, medela Corpori adhibita, mens conualescat, namque & hoc altius considerari debet. Ita nimirum, uti supra iam tetigi, rationes in eo: a materiali in corporis organo idea generari in mente nostra mille immateriales possunt, omnes vero mentis nostrae habitui, uti diximus, conformes, nulla eidem repugnans ac aduersa; hoc enim si foret, nulla foret ratio, qua explicari idearum huiusmodi ortus ac causa posset, cur hæc potius, non alia, producat. Iam autem de eiusmodi in mente nostra ideis sermones miscemus, quæ aduersæ ei ac inimicæ sunt, quas horret, quas detestatur execraturque. Has itaque ab ipsa mente esse non posse, sed ab alia extra eam immateriali substantia cum nostra mente communicari, supra docuimus. Non autem, nisi per certas propositiones, communicari menti nostrae possunt, certis verbis conceptas. Propositiones has aduersa illa mens, ita adpellabimus tantisper *τὸν ἑμὴν ἀντίδικον*, vel immediate in mentem nostram inspergit atque effudit, vel materiales ideas in sensuum organo interiori ipsa delineat atque componit. Posterius si admittatur, quod cur minus fiat, rationem non video, explicata res est; sin prius placeat, communicata illa menti nostrae idea sustentari in ea pro presentibus eius limitibus non potest, sine quodam quasi fulero organico, atque ita, quod diffiteri non possumus, ipsa mens nostra, propositionum earum ideas organo imprimi, cumque, ut fieri

E

folet

folet, vbi res nouæ atque inexpectata nobis obtingunt, præcipue quæ magni alicuius momenti sunt aut maximi, eas maiori quodam adfectu perculsa contempletur, nec tam facile iterum dimittat, aut iterum mox iterumque ad contemplandum reuocet, apparere iam iam arbitror, vnde fit, quod ideae tales tam firmiter nobis imprimantur, tam constanter nobis obuersentur, ita, vt iis abstinere vix ac ne vix quidem valeamus. Scilicet a frequenti illa mentis contemplatione trita ideis illis in eum, quo anima representantur, situm via paratur ac reditus, vestigiaque cum adfectu impressa seruantur diutissime. Ex hac eadem inlustratione patet, qui fiat, vt tandem quidam quasi habitus ex diuturna consuetudine, malumque, quod vocant, permanens, contrahatur, vt in vna corporis dispositione citius ille ac firmiter, aut serius ac leuius, contrahatur ac seruetur, iterumque his vel illis exterioribus mediis corrigatur, neque vllum esse horum adfectuum *Φαυρομενον*, cuius non ratio ex hoc nostro systemate tum dari tum solide explicari queat confidimus; quo etiam alias de ratione ac qualitatibus moralibus actionum somniantium; mente captorum, simplicitate eius laborantium, furiosorum, ægrotorum, dormientium theologicæ disceptationes referimus. Vbi tamen id diffidendum non est, ipsas mentes humanas diuersis a DEO tum cognitionis tum voluntatis limitibus circumscriptas esse, itavt vna in alia, quam alia, naturali adfectu feratur: vbi etiam illud vltro conceditur, complures esse, peruersis cogitationibus obnoxios, quos tentatis a me adnumerari, si quis colligeret, magna me adfecturus foret iniuria.

§. XXXIX. Attamen ex hæctenus dictis constat, etfi ab externa corporis constitutione origo ac principium mali repeti non debeat, eiusdem tamen augmenta atque durationem vitioso corporis habitui deberi. Iam vero materiæ, siue corporis nostri, quæcunque materies, quicunque habitus, quæcunque dispositio sit, innocens illa est, nullius capax morali-

ralitatis, nisi tuo demum vitio contraxeris, ergo & id a DEO imputari non credendum est, nec potest, salua EIVS Maieftata Sanctitateque, credi, quod non menti tuæ, sed corpori, deberi, conuictum est, quodque etiam corpoream admittit medelam. Et quæcunque demum motuum illorum, quos impios credunt ac blasphemos, vel ratio, vel origo fit, denuo ingerendum est animis laborantibus, atque ex ipsis eorum doloribus demonstrandum; inuoluntarios esse, ergo imputabiles non posse esse, neque enim inexistentia peccati, sed adfensus, Diuinam iram provocat, neque semen ab aduersario, tuo licet in agro, sparsum, sed cura eius educandi plantandique, DEO te abominabilem reddet; vti cuius ædes ignitis glandibus ab hoste iactis conflagrant, cum ipse doleat, non pœnam, sed auxilium, aut saltem commiserationem, experitur, quæque alia eius generis sunt, supra adducta. Quæ vero ibidem de contracto per solas mentis operationes, siue cogitationes, reatu dicta fuere, paullo iam diluenda sunt, neque enim, facta breui eorum, quæ supra explicauimus, in rem præsentem atque ad dicta illa, adplicatione, nobis proximioribus esse opus futurum. Nimirum ea vel plane ad rem nostram quæstionemque non pertinent, vel ea, quæ adstruimus, confirmant potius ac illustrant, quam confutant aut subruunt. Ita exempli causa derelinquere iniquas cogitationes suas iubetur. At vero nobis tecum sermo est, qui derelinquere eas omni nisu studes, si posses; at vero nos docuimus, eas, de quibus conferimus, cogitationes, TVAS NON esse. Vti, qui mures aliæ insecta tolerare non possunt, sed ad eorum aspectum exhorrescunt fugiuntque, eadem tamen, in ædibus suis perferre tenentur sed inuiti; ita tu tuas, quas putas, cogitationes. Ita abstinere prauis in mente destinationibus, ita cor iisdem purgare iubemur; At vero hæc ad proprias ac voluntarias, licet occultas, mentis malitiosas destinationes, queis illa data opera incumbit, non vero ad inuoluntarias, queis inuita ea opprimitur, cogitationes perti-

nent. Ita purgantur vtique & corda & conscientia nostra per fidem in IESVM CHRISTVM ac pretiosum sanguinem eius, sed ita purgantur, vt superstes labes nec imputari nobis nec damnare queat. Idem enim sanctissimus Spiritus, qui fidem nobis facit, sanguinem IESV CHRISTI purgare nos AB OMNI PECCATO, fidem etiam facit, si quis sine peccato se esse sibi persuaserit vel dixerit, eum imponere sibi, ac a veritate longe aberrare 1. Ioh. I, 7. 8. atque alius Apostoli calamo: Οὐδὲν νῦν κατάκριμα, nullam condemnationem, licet peccatum tamen, esse τοῖς ἐν Ἰησοῦ χριστῷ Rom. IIX, 1. Ita operam dare tenemur, vt non modo externo opere, sed & interna mentis operatione, DEVM colamus, Eumque non eo tantum non, sed & neque hac, offendamus, iam vero id aliaque eiusmodi ad Regimen Cogitationum pertinet, quod vtique, tum ad resistendum prauis, tum ad elicendas bonas ac optimas quascunque Cogitationes, sollicitum maxime esse debet, quod nostris tentatorum solatiis non officit. Vti & postremis Decalogi præceptis, quibus etiam primos motus prohiberi fatendum est, ἡ ἀμαρτία potius atque extrema nostra corruptio, ad excitandum Sanctimoniam perpetuum ac sollicitum studium, nobis ob oculos ponitur, quam τὸ κατάκριμα, condemnatio, declaratur. Vti neque, QUI IN CHRISTO SUNT, quod ad hæc inhabitantis peccati funesta documenta, ad has Legis minas ac fulmina, trepident amplius aut palleant, habent: Ἀμαρτία γὰρ ὑμῶν ἔκρυψε, ἔ γαρ ἐστὶ ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν, quæ aurea verba sunt Rom. VI, 14.

§. XL. Duo itaque sunt, vt vel tandem in vnum colligamus, quæ prolixè hætenus diuisimus, vnde de moralitate prauarum Cogitationum, si inuoluntariae eæ sint, iudicium ferri, atque exinde solatium contra eas solidum peti queat. *Vnum*, NON TVAS ESSE, qui de iisdem conquereris, ergo nullo iure imputabiles; quidquid enim tandem sit de atrocitate aut diuturnitate earundem, nihil tandem conficies, quam huius vel illius propositionis, e. g. NON EST DEVS, MA-

LVS

LVVS EST DEVS, VTINAM NON ESSET! & quæ similia sunt, ideam in organo corporis extare atque menti tuæ, inuitæ licet, constanter obuersari aut sapius. *Alterum*, etsi in se damnabiles atque peccaminosas, per gratiam tamen in IESU CHRISTO partam non imputabiles esse. Nascuntur enim nobiscum prauis illi motus, contracti priusquam nascamur. Iam vero ea *Παραπτώματα*, in quibus nascimur, vti a Christo expiata, ita in Christo condonata sunt, etsi non penitus deleta, sed ad Diuini beneficii memoriam, maioremque eius non reiiciendi curam, quoad sensum, non quoad reatum in nobis relicta. Namque Θεός ἦν ἐν χειρῶν κόσμον καταλλάσσειν ἑαυτῶν, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν; II. Corinth. V, 19. quæ simul responsum continent, quod reddere ad eam obiectionem licet ac oportet, quæ neæti potest, sufficet non primos modo in te motus deprehendi, sed ad sensum etiam, ut, quæ nolis, facias, non facias, quæ velis. Nimirum, hæc ipsa illa sunt, quæ peccantur a nobis, non imputantur a DEO, si ille consensus fiat cum dissensu tuo. De eodem & Paulus conquestus est: Rom. VII. iam cuiusque hac illum statui tribuisse censeas, sufficit, gratiam eum non exclusisse, atque iure inde colligi, eum statum gratiæ expertem non esse, quem sanctissimæ animæ, cum gratiam iam iam vel plenè nactæ, vel eidem proximæ essent, expertæ sunt; neque quemquam meliorem se Paulo neque Paulum se peiorum facile habiturum confido.

*De Cogitationibus piis.*

§. XLI. Superest, vt priusquam a prauis mentis nostræ ideis siue cogitationibus recedamus, vel tria verba subiiciamus de cogitationibus bonis, Diuinæque voluntati conformibus. Equidem nulla heic de bono aut merito eiusque imputatione cogitatio esse potest, quid enim boni ille sibi tribuet, cui ingemiscendum est cum optimo nostrum: *ὕδα γὰρ, ὅτι ἐν οὐκεί ἐν ἐμοί, τὰ τέτυκέν ἐν τῇ σαρκί μου, ἀγαθόν.* Rom. VII, 18. Quando tamen non de operum meritis, sed de fidei signis sermo est, eue-

nire sæpius solet, vt, supereffe ipsis aliquid boni, ad minimum in mente saltim, persuaderi tentatis debeat. Nimirum, vbi subinde prauis ac scelestis cogitationibus non excruciantur animæ, neque tamen bonis ac piis se cogitationibus vacare conqueruntur, mentemque suam, intimosque eius recessus, adeo ab omni bono vacuos, vt ne precari quidem queant, aut desiderium saltim boni habere, aut Diuinam gratiam anxii anhelare suspiriis. Multa sunt, quæ huiusmodi mentibus in viam reducendis inseruiunt. Exempli loco, desiderii desiderium, illam cupiditatem, qua exoptas maiorem habere cupiditatem, verum etiam desiderium esse, atque DEVM miserorum desiderio, qui vix respicere ad eius auxilia possent, adfurgere, quorum Daudici Psalmi quam plurima præbent documenta. Insuper Ionas exemplum, Ion. II, 8. cum iis, quos venenati angues admorserant Num. XXI, 8. 9. Ioh. III, 14. Orationem siue preces non verbis tantum aut ore peragi, sed quam maxime etiam in mente atque cogitationibus absolui. DEVM enim non verborum Magistrum nec Grammaticum esse, aut aures modo habere, quibus preces audiat, sed & oculos mentemque, quibus ea in tua mente videat, quo oratio mentalis pertinet, sed ea nec huius loci nec spatii sunt. Vnum tamen est, quod præterire non debemus; dictum supra est, eo vsque a DEO imputari prauas imputationes, vt adulterii reus sit, qui fœminam, desiderio ac animo ea fruendi, adspexerit Matth. V, 28. Iam vero, quæ a nobis, quos ipse omnes sub peccato conclusit, malosque declarauit Matth. VII, 11. quibusque prauæ illæ cupiditates conata sunt, DEVS iure maximo poscit, ea ab Eodem, æternum ac perfectissime BONO, spe æque magna ac certissima expectamus, vt, vbi peccato pressus miseriusque consumtus Eum adspicit tantum, animo ac desiderio, Eo ac gratia eius, fruendi, pœnitentiæ, vt ita dicam, atque gratiæ reus, id est, ea dignus sit. Quæ vberius tamen explicare, aut plura adde re prohibemur. De origine piarum Cogitationum, ex qua sane



fane iucundissimum mentis nostræ cum aliis sanctioribus commercium comparet, supra dixi. Eas vero vt habeamus tam non est in nostra potestate, quam non est, vt malas non habeamus, non autem illud mentis nostræ mens esse, vt ita diuam, credendum est, quod frequentius ei aut fortius obversatur, sed quod vere ac serio, licet debiliori quadam ac fere occulta ratione, in interiori eius recessu anhelamus. Sola illa *Διαφορα* certum gratiæ vitæque æternæ documentum est, quique bonum elegit tantum in mente sua, id est cogitando, ab eo nunquam illud auferetur. i. Ioh. V. 20. Luc. X. 42.

*De Regimine cogitationum.*

§. XLII. Tandem itaque redeundum nobis est intra oleas, atque nunc quadam de regimine cogitationum adiicienda, quæ quam multiplices, quam hinc scelerum, illinc dolorum, feraces matresque sæcundæ sint, hæctenus dictum est. Præcipua hæc opera Anglorum Theologorum tres iamiam, vt alios taceamus, defuncti sunt. Georg. TVLLIE, quem supra memorauius, nuper demum libello à M. Poley germanicè verso *Von Beherrschung der Gedancken*. Thomas GODWIN jam ante complures annos in Tractatu *de vanitate cogitationum* eorumque morbo ac medela, *Operibus eius à Balthasare Köpken* vernacule editis duplici loco inserto; & quem præcipue æffimo Guilielmus BEVEREGIVS, (Beueridge) In Cogitationibus de Religione, vna cum Destinationibus ad praxin Chrianiismi pertinentibus, e quibus tertium locum occupant, atque in Editione Germanica Noribergæ apud Monatum Ann. 1726. in 8. curata, p. 210-228. continentur, eæ, quæ Cogitationum regimen attinent, Destinationes ac Regula. Deplorata enim acerbe extrema mentis ac naturæ suæ corruptione, qua, nisi nouum a DEO cor acceperit, nouam vitam instituire nunquam non impediatur, DEVMque, vt qui primus illud dedit, nouum etiam reddat deuote, precatu. has suas destinationes subiungit, artem bene cogitandi siue practicam quandam logicam complexas.

§. XLIII.

S. XLIII. 1) *Animo mihi, adspirante Diuina gratia, propo-  
sui, tantam curam interiorum cordis mei motuum, quam exteriorum  
vita mea operum, agere.*

Namque & mentis operationes, opera, atque hominis  
præcipua sunt, quibus tam DEVS, imo potius adhuc,  
quam externo membrorum motu afficitur. Spiritus ille  
est, ergo in Spiritu non adorandus tantum, sed colendus et-  
iam Ioh. IV, 24. Excors certe sacrificium foret, quod veteres  
appellauerunt, quod externo quidem opere, sed sine interno  
cordis affectu, offerretur. Abhorre se id DEVS tum in  
Caino, tum in populo Israelitico testatus est. Genes. IV, 4. 5.  
Ebraeor. XI, 4. Ies. XXIX, 13. eumque cultum frustraneum ac  
vanum Christus pronuntiat Matth. XI. 8. 9. contra ea interna  
cordis deuotio vel sine externo opere DEO accepta est. Pf.  
LI, 18. 19. præcipua hominis pars mens est, atque Diuina ima-  
go Essentia Ergo ea etiam præcipue DEVS colendus; lucem  
quidem exteriora opera hominibus spargunt, sed interiores cor-  
dis motus ipsi DEO ac immediate iunguntur, quæ omnia supe-  
rius iam memorata. Verum perpetuum nostra mens eiusque co-  
gitationes mobile sunt. Vnde ne in finistram moueantur partem  
sollicita cura atque regimine perpetuo opus est, cumque cogi-  
tationibus regamus & nostras & aliorum res, vt recte has rega-  
mus, recte illas regere oportet; nobis imperabunt, si nos non il-  
lis; Sique cogitationibus a brutis distinguimur, eorum regimi-  
ne distinguemur ab hominibus, brutorum instar cogitantibus  
vel viventibus.

S. XLIV. 2) *Animo mihi, Diuina adspirante gratia, propo-  
sui, unicuique cogitationi occurrere, atque, quam primum in mentem  
meam ingreditur, quo veniat & quo tendat, inquirere.*

Rectissime Goodwinus: non refert, quæ mentem tuam  
Cogitationes introeant, sed an ac quale hospitium inueniant,  
illud enim prohibere non vales, aut si neglecto cogitationum  
regimine tempus iis, quo adulescant, indulleris, frustra im-  
petus

petus eorum aut difficulter reprimis, fons enim sunt mox in riuum, viresque eundo acquirens in fluuium exereturus, qui litora transgressus omnia inundet, itaque in ipso fonte cogendus in debitum sibi alueum; qualis in featurigine aqua, eadem in fluuio, atque ne grande sensim Incendium coalescat, ignis vix in fungo conceptus, atque vix natus anguis in herba, suffocandus est. Prima enim concoctionis vitia omnem tibi chilum perditura sunt. Obstandum itaque principiis, sero medicina paratur, nihil a quoquam vnquam admissum fuit, quam atrox etiam fuerit, cuius non paruum in cogitatione Initium fuerit; obuiam proinde cuius cogitationi in prima eius conceptione eundum, quoque oriatur, e caelo, an Inferno, quoque pergat, an mare aeternae Felicitatis, an paludem aeternae Calamitatis, prius, quam ei hospitium praebeas, dispiciendum, hoc enim si praebueris, frustra expelles quem admittere non debuisses. In scelera te rapiet, aut post ea in conscientiae dolores intensissimos, quod vtrumque, vt supra explicatum, euitare anima potuisset, si principiis restitisset, aut aliquando etiam non restitisset. Recte enim omnino ille sensit, qui nullum plane inuendum cum Satana aut peccato colloquium dixit, neque vbi persudet, neque vbi terret. Ille enim vitata mente nostra, genitam a se prolem infelicem nobis relinquit, prauas illas mentemque nostram excruciantes cogitationes. Atque etiam in persuasionibus illis, vbi semel discursui locum dederis, victus es, si enim proditores Satanaeque proxenetae tamdiu excusant, suadent, laudant, donec consensum exprimant; Gallinam subinde refert, Pullie comparante, mens nostra, ex ouis, quae sua non sunt, pullos excludentem, imo coruos atque in perniciem suam Basiliscos. Non de mente tantum dici potest, quod de testa *Horatius*,

Quo semel est imbuta recens, seruat odorem  
Diu. Sed & quod de fama *Virgilius*

Mallum, quo non aliud velocius ullum  
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo,

de Cogitationibus. Præterea multum interest, non modo quid aut de quo, sed & quomodo cogites. Et heic idem, quod duo faciunt, non est idem; idem enim de eodem cogitare obiecto, DEO, Christo, &c. possunt, sed diuersissimis modis ac finibus; salutare alter, aliter pernicioso, vera alter, alter falsa idea; DEVM cogitare potes, nec tamen amare aut colere; fidem, nec tamen habere; poenitentiam, nec tamen agere. Regimine itaque in primis opus est motibus.

§. XLV. 3. *Animo mihi Diuina adspirante gratia proposui, tam sollicitè vanas cogitationes, quam impias, mentis meæ aditum prohibere.*

Quippe etiam vanæ impiæ sunt. dum enim vana cogitas, id quod ferium, quod unum necessarium est, non cogitas; a DEO non tam externum, quam internum mentis opus curari, supra doctum est; cum itaque mens conuersa esse ad DEVM debeat, si auersa ea sit, vel ad manifeste malum, vel ad vana, vertatur, idem est, modo a DEO avertatur. Ita bonum omittitur, ita tempus perditur, ita animæ salus negligitur. Sed hæc ipsa non ad excusanda scelera, sed ad accusandas vanitates, dicta sunt. Et quam vanæ tamen sunt nostræ cogitationes & vanitates earum quam innumeræ? recte TULLIE: non alia ratione sapientem subinde a stulto differre, quam quod hic absona, quæ cogitat, dicat, ille silentio promat.

§. XLVI. 4. *Animo mihi Diuina adspirante Gratia proposui, cogitationes meas nunquam non in aliquid bonum dirigere, ne Diabolus eas dirigat in malum.*

Non tantum hoc de bono obiecto, sed & de bona circa quodcunque obiectum intentione capienda sunt. Otii siue quietis mens nostra non amans, ac nequidem capax est. Bonum, quod vel agat vel contempletur si non habeat, monstratum a Sathana accipiet; non tam facile stagnantes aquæ, quam mens otiosa, corrumpuntur. Dicit ergo non potest, quantum conducatur, sub vitæ, sub diei principia, sub actionis aut rei cuiusuis, hanc sequi regulam, bonisque ac optimis men-

mentem obiectis occupare, satanaeque prolem ita aditu excludere, at vero tam iucundum quam proficuum hoc pietati studium est, vbi de quocunque obiecto, vbique obuio, nihil enim tam malum est, vt *Beveregius* ait, de quo bene cogitare non possis, pias mox meditationes instituire, breues licet, adfueueris. Logicae tibi instar haec opera erit, discesque cogitando cogitare.

§. XLVII. *5. Animo mihi Diuina adspirante gratia propo- sui, cogitationes meas in eum redigere ordinem, vt neque sibi inui- cem, neque in negotiis meis, officiant aut turbent.*

Constat circa res alias, quantum dependeat ab ordine. Quod non altius progrediamur tum in cognitione nostra, tum in actionibus nostris, sapius causa ab interrupto sapius ordine cogitationum nostrarum repetenda venit. Ex hac quasi acie si nulli cogitationum tuarum recedere liceat, si nulli aduenarum ingredi, tibi cauebis a prauis, tibi seruabis optimas quasque cogitationes, fructusque laboris ipsis operibus ferens uberrimos; praecipue vero hoc ad certitudinem condu- cet, neque mens Tua, quod facere amat, semper fluctuet, quo de maximopere laborandum est. *καλον γαρ, χαριτι βεβαιω- θαι την καρδιαν.* Ebr. XIII. 9.

§. XLVIII. His autem *Beveregii* circa regendas cogita- tiones consilii ac destinationibus, notulis nostris illustratis, addere praeter alia praecipue oportet 6) loco necessarium *Sensuum Regimen*. Cumenim cogitationes in mente non nisi per Ideas in sensibus eliciantur atque obiectis in Sensuum orga- no representatis non possint non, elici, patet, frustra à malis ob- iectis praemuniri ac removeri mentem, nisi ab iisdem etiam sensus removeantur. Iam vero quam sollicita haec cura opus est, vbi, quae semel vno sensuum actu in mentem illata sunt, deleri ex ea, etiamsi velis, non possunt, sed in infinitum poti- us multiplicari. Eadem diligentia opus est, circa regendam cum aliis conversationem nostram, ne cui vel verbis, vel actibus, aliisve motibus praebemus materiem peccandi, qua postea mentem suam liberare non possit, omnemque peccatorum suo- rum

rum culpam in nos transferbat. Sed & cum mens nostra virtutes suas exferere non possit, nisi excitatis prius in sensuum organo Ideis, id etiam argumentum exinde fluit, ne, ubi simplicius alii sentiunt, aut nobis sentire videntur, de rebus, quas nos exactius dignoscimus, vel gloriari de nostra cogitatione maiori, vel contemnere alios ob minorem, suscipiamus.

*Epilogus.*

§. XLIV. Animus erat subiicere quædam sub finem de Cogitationibus mentium separatarum, Angelicarum, Iesusque DIVINÆ. Sed ea nunc in aliud tempus ac locum seruamus. Diuinæ tamen Cogitationes cum non nisi nostram ac supremam salutem concernant ac ab æterno decreuerint, pro hac de Cogitationibus Diatribem cum Dauidæ Epiphonemate concludimus ex

Psalmo CXXXIX. v. 17. 18.

נְלִי מִהֲדַיְקָרִי רֵעִיךָ אֵל מִה עֲצַמִּי רֵאשִׁיחִים : אֲסַפְּרָם  
מִחֹל יִרְכֹּן תְּקַצְּצֵנִי יְעֹרְרֵי עִמָּךְ ;

Atque ex Psalmo XL. v. 6.

נִפְוֹת עֲשִׂיתָ אֲתָה הָיָה אֱלֹהֵי נִפְלְאוֹתֶיךָ וּמַחֲשַׁבְתֶּיךָ אֵלֶיךָ  
אֵין עֵרַךְ אֵלֶיךָ אֲנִיךָ וְאֲדַבְרָה עֲצַמִּי מִסֶּפֶר :

§. L. In vberioris tamen Discursus materiam sequentia adiacere placet Epimetra.

1. Longe absurdius Homo de Diuina, quam de sua Ipsius, Existentia dubitat.
2. Prima Supremi Entis adfectio est, ut sit Infinitum, altera ut non possit comprehendi.
3. Vera mali eiusque permissionis causa ex ipsa eius possibilitate possibilis que natura non derivari modo debet sed & explicari potest.
4. Providentia atque ipsa Inspiratio Diuina non tantum circa originales sacri Codicis textus versatur, sed & circa omnes eius in varias linguas versiones.
5. Peccati in Spiritum Sanctum irremissibilitas non quidem ab ipsa finali Impenitentia, sed tamen a finalis penitentia impossibilitate, repetenda est.
6. Corruptio Ecclesie non a sequioribus derivanda seculari est, sed ab eo tempore, quo Christiani non conuersi sed nati sunt.

ad 12

300 ) 6 ( 300







EO.-Bq. 2002

01 A 6727

ULB Halle


3

003 104 745



WA

Rho ✓





24 23

I. N. I.  
COGITATIONES  
THEOLOGICÆ  
DE  
COGITATIONIBVS

IN  
DISSERTATIONIS INAVGVRALIS  
MATERIEM  
IN INCLVTA ACADEMIA IVLIA  
PRÆSIDE

DN. IONA CONR. SCHRAMMIO  
S. S. THEOL. DOCTORE ATQVE PROFESSORE  
ORDINARIO CELEBERRIMO  
ET HOC TEMPORE FACVLTATIS SVÆ  
DECANO

PRO PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
OBTINENDIS

DIE NOVEMBR.

PROPOSITÆ

AB

EBERH. DAVIDE HAVBERO  
CELSISS. COM. SCHAVERN. ET LIPP. A CONSIL. SACRIS,  
COMITAT. EIVS SVPERINTENDENTE, ATQVE ECCLES. STADT-  
HAGENSIS PASTORE PRIMARIO.

---

HELMAESTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.  
A. c. 1800 c. c. x. x. v. i. i.